

contra hoc deliquerint exigenda eorum ſumptibus à parentibus & tutoribus ipſorum pro prima vice, & arbitraria multa pro ſecunda indicta Mandamus quibuſcumque Prætoribus, Præfectis juſtitiæ, aliſque Officialibus, ad quos poterit ſpectare, ut de ſuper invigilent, juſtitiæ ſua populus præſertim Dominicis Feſtiſque diebus viſitent & prævaricatorum correctionem prædicta multa & pœna executione intendant, iſdem etiam mandantes ut omnem opem (quam afferre rogabuntur) iudicibus Eccleſiaſticis eorumque Officialibus præſentent, quod violaciones quæ Dominicis aut Feſtis diebus in caſibus in quibus juxta præcedentia noſtra Edicta & mandata ipſiſ permiffum fuit agere per præventionem Injungiſque dilectis admodum & fidelibus Noſtris Præſidi Supremo & Conſilariis Sanctioris noſtri & magni Conſilii, Cancellario & Conſilariis Conſilii noſtri Brabantia, Præſidi & Conſilariis Provincialis noſtri Conſilii Flandria, & Scultero Mechlinienſi, ut hoc noſtrum præſens mandatum locis conſuetis & ubi opus fuerit, promulgari curent & faciunt obſervari juxta ejus formam & tenorem. Quia ſic nobis placeat. Datum in urbe noſtra Braxellenſi die 6. Martii anno 1687. Regnorum noſtrorum 22. et ſignatum Blon. ut in plica ſcriptum erat: per Regem in ſuo Conſilio, ſubſignatum L. A. de Clatis et atque obſignatum magno ſua Majeſtatis ſigillo in cera rubra dependente ex pergame-na duplicata lacinia.

CAPUT II.

De Licentia laborandi diebus Feſtivis.

1. Eccleſia in obſervatione diei Feſti vult ſervare illud Chriſti: Sabbathum propter hominem factum eſt & non homo propter Sabbathum.
2. Lex charitatis cedit legi poſitiva de obſervatione Sabbathi.
3. Lex generalis cedit legi particulari.
4. Chriſtus docuit præferendam miſericordiam & charitatem externo cultui diei feſti.
5. Chriſtus oſtendit, quod conditor legis, in lege diſpenſare poſſit.
6. Jam pridem oſtendit Eccleſia, externum cultum diei feſti cedere debere neceſſitati.
7. Ob neceſſitatem indulſit generaliter Conſtantineus Agricolaſ laborare.
8. Legem hanc correxit Leo Sapiens, quæ correctione hodie utimur.
9. Neceſſitas determinanda à legitimis ſuperioribus.
10. Notabilis ſpecies diſpenſationis ex Decretali Alexandri III.
11. Synodi Belgice pro diſpenſatione obtinenda remittunt ad ſuperiorem Eccleſiaſticum.
12. Iudicium de neceſſitate Synodus Cameracenſis delegat Archipreſbytero, vel Paſtori.
13. Edictum Principum videtur remittere ad Magiſtratum civilem.
14. Conciliatio Edicti cum Synodo.
15. Quod agendum Archipreſbyteris & Parochis, ſi Officialis civiles eam auctoritatem ſibi liberalius, quam oportet, uſurpent.
16. Circa colligendas fruges diſpenſatio haud facile neganda, præſertim ſi Magiſtratus judicet neceſſitatem eſſe.
17. Aliqua indulgere poſſunt feſtis minus ſolemnibus, non indulgenda ſolemnibus.
18. Diſpenſatio danda ob neceſſitatem non affectatam.
19. Quomodo adverſus violatores feſtorum ex Decretis Synodorum procedendum?
20. Ex Edicto Principum locus eſt præventioni inter iudicem Eccleſiaſticum, & Civilem; & qua ab illo obſervanda?

I. Io Eccleſia ab operibus ſervilibus aliſque per ſe minime illicitis, ſed mentem tamen à rebus Divinis avocare ſolitis abſtinendum cenſuit diebus Dominicis & Feſtivis, ut tamen ſemper meminerit moniti Magiſtri ſui: Sabbathum propter hominem factum eſt, & non homo propter Sabbathum Marci cap. 2. v. 27. Quo ſuo monito indicatum voluit Chriſtus, Sabbathum omniaque ad ejus ſanctificationem inſtituta, refe-

renda eſſe ad ſanctificationem & utilitatem hominis: adeoque ſi huic fini hic & nunc non conveniant, ſed è contrario in hominis detrimentum vergerent, tunc Sabbathum ejusque leges cedere debere, utpote quod propter hominem factum eſt.

II. Hoc ipſum ſapienter Chriſtus tum verbo, tum facto oſtendit, ut Phariſaicum & ſuperſtitioſum Sabbathi cultum deſtrueret.

Et quidem cum quodam tempore abiens Jeſus per ſanta Sabbatho, Diſcipuli ejus eſurientes cæpiſſent vellere ſpicas & manducare; & Phariſæi id videntes, dicerent ei: Ecce Diſcipuli tui faciunt quod non licet Sabbathis, Chriſtus à Phariſæa hac reprehentione vindicans Diſcipulos ſuos, dixit eis: Non legiſtis quid fecerit David, quando eſurivit, & qui cum eo erant, quomodo intravit in Domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum ipſo erant, niſi ſolis Sacerdotibus.

Hic oſtendit Divinus Magiſter, legem merè poſitivam etiam de concernentibus cultum Dei, poſtponendam legi naturali neceſſitatis; nullamque conſecrationem rei aut diei eam legem abrogare poſſe, quæ proximo in neceſſitate charitatem exhiberi jubet.

III. Alterum argumentum in deſenſionem Diſcipulorum ſubjungit, dicens: Aut non legiſtis in lege, quia Sabbathis Sacerdotes in Templo Sabbathum violant, & ſine crimine ſunt? Dico autem vobis quia Templo major eſt hic.

Quibus verbis docet, legem poſitivam generalem colendi Sabbathum nonnunquam ceſſare cum alia particulariſ lex ad eandem ſanctificationem pertinens concurrit.

IV. Dein ſubjicit Chriſtus hanc regulam: Si autem ſciteris, quid eſt. Miſericordiam volo, & non ſacrificium, nunquam condemnatiſtis innocentes.

Quæ diceret, quia lex charitatis præferenda eſt omni externo cultui externiſque ſacrificiis, ſi eam ſat expendiſſetis, nunquam condemnatiſtis diſcipulos in neceſſitate poſitos die Sabbathi ſpicas vellentes, eaſque ad eſurientiam ſuam explendam manducantes: quia externum quidem Sabbathi cultum volo; ſed magis miſericordiam, & charitatem, quæ proximo in neceſſitate conſtituto ſuccurritur.

V. Denique concludens ait: Dominus eſt enim Filius Hominis etiam Sabbathi: id eſt, Filius hominis qui Sabbathum inſtituit, ei que Leges præſcripſit, eatenus eſt etiam Dominus Sabbathi, ut lege charitatis vel neceſſitatis occurrente, poſſit in Legibus illis diſpenſare.

Hiſ Divinis regulis inſiſtens Eccleſia, Leges ſuas pro dierum feſtorum cultu & ſanctificatione inſtitutas, ita ſemper intellexit, ut Legi neceſſitatis & charitatis, aut Legi alteri ſpeciali eas cedere debere profiteretur; ſeq; dierum feſtorum Legumque ad illorum cultum ſpectantium ita Dominam eſſe, ut quando Lex charitatis aut neceſſitatis poſtulaſſet, à legibus illis recedendi poteſtatem faceret; quo oſtendat, quod ad exemplum Sabbathi, dies feſtus factus ſit, propter hominem, non homo propter diem feſtum.

VI. A Patribus Synodi Laodicænæ jam pridem decretum

cretum legitur Canone 29. "Quod non oportet Chriſtianos judicare, & in Sabbatho otari; ſed eo die operari: Diem autem Dominicum præferentes otari, ſi modo poſſint, ut Chriſtianos.

Ad additam clauſulam, ſi modo poſſint, refleſtens Theodoruſ Baſilaram in Commentario in hunc Canonem ait: "Sed & hoc ſcilicet die Dominico non operari, non neceſſario mandantur; ſed adjecerunt, ſi poſſint Fideles. Si enim propter inopiam vel aliam aliquam neceſſitatem, etiam die Dominico fuerit aliquis operatus, præjudicium ei non aſſertur.

Eandem clauſulam obſervat Zonaras, additque: "Lex verò civilis à muneribus die Dominico pacationem eſſe, ſi agricolaruſ opera excipias, omnino jubet. Illis namque, quia fortè, operibus primo quoque tempore obeundis alium diem pariter accommodatum naſciſci non ita facile fuerit, Dominico quoque die operam navandi facultas conceſſa eſt.

VII. Lex civilis, cuius hic meminit Zonaras, videtur Conſtitutio Conſtantini M. relata in L. 2. Cod. De Feſtis, quæ permittebatur agricolis die Dominico operas ſuas exercere, additâ hac ratione: "Quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta ſulcis aut vineæ ſcrobibus mandentur; ne occasione momenti pereat commoditas celeſtiſ proviſione conceſſa.

VIII. Ad neceſſitatem Imperatorem reflexiſſe ſat apertum eſt: ſed quia neceſſitas hæc non ſemper occurrit, acideo videretur nimia à veneratione diei Dominicæ exemptio agricolis indulta, Leo Sapiens ſeculo 9. eam legem corripit Conſtit. 54. ſtatuitque ut omnes in die ſacro à labore vacent, neque Agricola, neque quipiam alii in illo illicitum opus aggrediantur. Si enim, qui umbram quandam atque figuram obſervabant, tantopere Sabbathi diem venerantur, ut ab omni proſuſ opere abſtinerent, quomodo qui gratiæ lucem, ipſamque veritatem colunt, hos enim diem qui à Domino honore ditatus eſt, noſque ab exitiſ dedecore exhiberit, non venerari par eſt?

Agricolæ igitur non ſecus atque alios opifices per ceſſationem operarum ſuarum colere dies Feſtos voluit Leo; quod & poſteriores tam Principum, quam Episcoporum leges decreverunt; eâ tamen cautione, ut neceſſitati Lex hæc poſitiva cedat; quæ ſemper intacta manſit.

IX. Sed ne prætextu neceſſitatis Leges Eccleſiaſticæ paſſim violentur, atque unicuique liberum ſit legem tranſgredi, dum pro arbitrio ſuo & affectu neceſſitatem fingit, merito hujus neceſſitatis determinatio non cuiſlibet privati; ſed Superiorum arbitrio & iudicio commiſſa eſt: ut hi neceſſitate aut utilitate perpentiſ, judicent, an & quomodo in lege diſpenſandum ſit.

X. Notabilis ſpecies diſpenſationis, quæ & regulas aliquas ſuppeditat occurrit in Cap. 3. De Feſtis ubi reſcribit Alexander III. Archiepiſcopo Triburienſi ejuſque Suffraganeis: "Quod cum regio veſtra non multum frugibus abundet, inæ, in quo populus majorem conſuevit habere ſuſtentationem ſteriliſ ſolito effectuſ fuiſſe multorum relationibus cognofcentes, B. Petri auctoritate & Pauli & noſtra indulgemus, ut liceat parochianis veſtris diebus Dominicis, & aliſ feſtis (præterquam in majoribus anni ſolemnitatibus) ſi alectia terræ ſe inclinaverint, eorum captioni ingruente neceſſitate intendere: ita quod poſt factam capturam Eccleſiſ circumpoſitiſ & Chriſti pauperibus congruam faciunt portionem.

XI. Synodi noſtra Belgicæ pro diſpenſatione paſſim ad Episcopum, Archipreſbyterum aut Paſtorem remittunt. Synodus P. I. Mechlinienſis titulo De Feſtis cap. 3. Votat omnibus Magiſtratibus & ſecularibus Iudicibus, ne cuiquam ex omnibus prædictis Feſtis violandi ſeu profanandi licentiam concedant, ſed eos qui ab ipſiſ licentiam hujusmodi requirunt, ad Episcopum ejuſve Vicarium, vel Paſtorem remittant: alioqui contra eos tamquam Syn-

Van Eſpen Jur. Eccl. P. II.

nodalium Statutorum tranſgreſſores, & aliâs prout de jure, procedant.

XII. Similiter Synodus P. II. Cameracenſis tit. 4. c. 2. poſtquam dixit diebus Feſtis, nec permitti agrorum cultum aut meliæ, molitorum, coctorum cerevitiæ, lanionum, piſtorumque operas, additâ hac exceptione, niſi ob notabilem neceſſitatem, dicit: "Cujus cognitio ad Decanum Chriſtianitatis, vel eo abſente, aut nimis procul degente, ad Paſtorem loci ſpectabit.

XIII. Edictum Philippi II. ad hanc Synodum art. 7. pariter vult diebus Feſtis à prædictis exercitiis abſtineri, "niſi ob neceſſitatem declarandam (ait) per Officiarium & Magiſtratum loci, de adviſamento Decani Chriſtianitatis aut in ejus abſentia Paſtoris loci." Idipſum habet Edictum Alberti & Iſabellæ quod emanavit anno 1607. ſuper obſervatione dierum Feſtorum.

XIV. Super hiſ Edictis refleſtens Zypæuſ in Notitia Juris Belgici titulo De Feſtis num. 4. ait: "Iudicio quidem Magiſtratus quatenus de puro facto neceſſitatis quaritur: Archipreſbyteri ruralis, aut ubi ſi non eſt, Paſtoris, quatenus de obligatione præcepti Decalogi ſeu Eccleſiæ agitur: quæ non habet alium interpretem, quam Eccleſiaſticum cum Magiſtratum.... ut & diſpenſatio ſuper obligatione non alteri competere poſſit; ſed tantum ſuper declaratione facti; & ſi impropria locutione.

XV. Inter acta & reſoluta in Congregatione Archipreſbyterorum præſidente Archiepiſcopo Mechlinienſi habita die 25. & 26. Septembris anno 1663. art. 41. & 42. habetur: "Ad evitandum abuſum quo in aliquibus locis Ballivi & Officiarii laici pro certo pretio permittunt inconſulto Ordinario, Archipreſbytero, vel alio ad id deputato, quod diebus Feſtivis & prohibitis ruſtici arare poſſint & carrucare, Archipreſbyteri agent iſtic loci cum prædictis Ballivis, curabuntque ſignificari dictis ruſticis, eos per ſimilem licentiam non evaſuros correctionem iudicis Eccleſiaſticæ; & ſi idipſum non ſufficiat, aut tales Ballivi non deſiſtant, tranſcribent Ordinario, aut Vicariatuſ, aut Officiali, ut deſuper provideatur interim non impeditur ruſticus, qui ab Archipreſbytero, vel Paſtore diſpenſationem obtinuerit, iſtum Ballivam vel Officiarium dictæ diſpenſationis certiorum reddere.

XVI. Diſpenſandi occaſio, præſertim in pagis, præcipuè occurrit tempore meſſis ad colligendos fruſtus; quando vel ob irruentem militem, vel ob periculum intemperiei aëris collectio hæc moram non patitur; quando non moroſè diſpenſari convenit, ne occasione momenti pereat commoditas celeſtiſ proviſione conceſſa; uti loquitur citata lex Conſtantini: ideoque ſi iudicio Magiſtratus, neceſſitas notabilis videatur, haud convenit, ut Archipreſbyter aut Paſtor licentiam hoc caſu facile neget.

XVII. Porro in hac diſpenſatione circa quodcumque opus ſervile verſetur, diſtinguendi dies Feſtivi ſolemniores à minus ſolemnibus; quemadmodum diſtinguit Pontifex in citato Cap. 3. De Feſtis, concedens facultatem incolis certarum regionum piſcandi diebus Dominicis & Feſtis, præterquam in majoribus anni feſtivaritatibus.

Eam regulam ſequuta Synodus P. I. Mechlinienſis titulo De Feſtis cap. 2. poſtquam "interdixit omnibus ſuæ Provinciæ Chriſti Fideſibus opera manualia & ſecularia quæcumque, mercatum item & forum rerum venalium, atque judicialia exercere," ſubjungit per modum moderationis: "Ita tamen ut Episcopis in illis feſtis quæ minus celebria ſunt, ad populi commoditatem liceat aliquid pro ſua diſcretionem relaxare.

Non dubium ergo quin aliqua permitti queant diebus Dominicis & feſtis minoribus, quæ permittenda non ſunt in ſolemnitatibus majoribus; majorque neceſſitas requiratur, ut licentia laborandi in hiſ ſolemnitatibus annuatur, quam in aliſ Feſtis aut Dominicis diebus.

XVIII. Nicolaus V. à Tranſylvanis conſultus, "an pauperibus

A a a

peribus villanis ac oppidanis licitum sit vendere die Dominico vel festo alicujus Sancti, panes, legumina, pyra, Poma, & alia legumina; vel sit licitum eis finita Missa, post prandium de campo tempore messis, cum timetur de pluvia, portare cum pecoribus vel equis, vel curribus, linum, scenum, & alia blada humano usui convenientia? Respondit Pontifex: "Dicendum est, quod cessante necessitate ab omni opere servili abstinendum est diebus Dominicis & Festivis; sed necessitate cogente, non tamen affectu seu procurata, licitum est praemissa exercere." Habetur apud Odoricum Raynaldum ad annum 1447. n. 28.

Recte dixit Nicolaus, necessitate non affectu seu procurata: nonnulli enim ea quae diebus feriatis agere, aut procurare debent, in diem Dominicum aut Festum ex proposito differunt, atque ita necessitatem affectant seu procurant; contra quos tanquam diem Festorum violatores agit Catechismus Romanus in expositione tertii praeccepti Decalogi n. 29.

XIX. Si circa licentiam opera vetita diebus Dominicis & festis exercentur, ex Decretis Synodorum etiam paenis pecuniariis adversus violatores agendum; quibus "per Offi-

cialium Mechliniensem inflicti, requisitus Amanus Bru-xellensis noluit sententiae executioni mandare, quasi ea auctoritas Ecclesiae non competeret, & juri Principum derogaret: sed instante Illustriss. Archiepiscopo Mechlin., à Cancellaria Brab. facta relatione Principi, condemnatus fuit eas sententiae executioni mandare. 28. Maji 1605. Ita Zyprus in Jure novo tit. De Feriis n. 2.

XX. Edictum Principum nostrorum de anno 1607. ut efficacior & promptior sit executio eorum quae ibidem pro cultu dierum festorum statuta sunt, vult contra violatores procedi tam per judices Ecclesiasticos, quam Civiles jure praeventivis: ita tamen ut si per judicem Ecclesiasticum procedatur ad multam pecuniariam, ea fiat cum decenti moderatione, applicanda ad usum pauperum aut Hospitalium speciatim in sententia exprimentorum.

Insuper si citatus coram Judice Ecclesiastico alleget, probetque secum dispensatum ratione alicujus necessitatis per Officiarium vel magistratum loci cum advisamento Pastoris, ut eodem Edicto ordinatum est, ipse Judex Ecclesiasticus tenebitur super sedere, neque ulterius inquirere poterit, an dispensatio bene vel male data sit.

TITULUS XVIII.

Origo, Definitio, & Divisio Beneficiorum.

CAPUT I.

Origo & Definitio Beneficiorum.

1. Beneficium olim vocatum praedium Episcopale.
2. Beneficium & feudum olim coincidebant.
3. Praedia Clericis in alimentacionem assignata Beneficia vocari ceperunt; & quare?
4. Multis seculis dispensatio praeventivum Ecclesiasticorum mansit penes Episcopos.
5. Subinde praedia Clericis utenda concedebantur.
6. Ex his concessionibus habetur Beneficiorum origo.
7. Haec concessionis primitus tantum erant personales intuitu meritorum.
8. Rerum Ecclesiasticorum dispensatio qua ratione Clericis committi ceperit?
9. Primitus concedita vita eorum durante.
10. Tantum illis qui operam Ecclesiae impenderent.
11. Quomodo titulis portio annexa fuerit.
12. Unde titulus Beneficii nomen obtinuerit?
13. Definitio Beneficii juxta Canonistas.
14. Alia Theologorum; sed utraque coincidit.
15. Officium Ecclesiasticum est fundamentum Beneficii, etiam secundum Canonistas.
16. Non alium in finem hodie proventus Ecclesiastici dantur Clericis, quam olim.
17. Nullum Beneficium sine officio.
18. Beneficium debet esse perpetuum; & quare?
19. Beneficia manualia non sunt propria Beneficia.
20. Beneficium debet erigi auctoritate Episcopi.
21. Id pristina disciplina consentaneum est.
22. Quamcumque conditionem adjecerit fundator, fundatio Beneficium non est sine Episcopo.
23. Non sufficit data facultas celebrandi Missas.
24. Etiam si essent perpetua ad vitam possidentium.
25. Vicarii perpetui deputandi erecto titulo.
26. Beneficium non praesumitur, si administratio proventus ad tertium pertinet? & quare?
27. Spiritus Ecclesia circa Beneficia semper idem.
28. Cur conveniat scire pristinam Ecclesia circa Beneficia disciplinam?

I. Beneficium, ait D. Du Cange in suo Glossario verbo, *Beneficium*, "Scriptoribus mediae aetatis, dicitur praedium fiscale, quod à Rege vel Principe, vel ab alio quolibet, ad vitam viro nobilitentem, dum conceditur. Ita autem appellatum est, quod ex merito datus Beneficio ac liberalitate illud possideatur." Haec ille, qui & ibidem notat, quod & eodem penè sensu Latini hanc vocem usurparunt, & praedia quae Principes militibus aliiq; largiebantur, *Beneficia* appellarunt.

II. Posthaec exponit, quae essent horum Beneficiorum conditio, & scopus; ostenditque ea naturam hodiernam feudorum habuisse; unde & factum est, ut illud quod *Beneficium* primitus fuit appellatum, postmodum *feudum* nomen acceperit, ita ut *Beneficium* & *feudum* pronuncie usurpentur in libris feudorum.

III. Cum autem successu temporis praedia Ecclesiae Clericis bene meritis, tanquam Ecclesiae *militibus* ad usum dari ceperunt, etiam eadem ratione *Beneficia* appellata sunt. Quando autem praedia & fundi aliaque res immobiles Clericis concedi ceperint, incertum est.

IV. Hoc certum est, multis seculis, dispensationem proventus Ecclesiasticorum mansisse penes Episcopos eorumque oeconomicos & Archidiaconos; ut secundum proportionem in Clericos, fabricam Ecclesiae, pauperes, & usum Episcopi distribuere.

V. Adhaec constat, quod & subsistente hac dispensandi oeconomici; subinde terrae ac praedia nonnulla Clericis utenda concederentur.

Sic legitur in *Canone 23.* Concilii Aurelianensis I. Anno 511. "Si Episcopus *humanius* intuitu, vineolas, vel terrulas, Clericis & Monachis praestiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiam longa transire annorum spatia comprobentur, nullum Ecclesia praedictum patiat, nec seculari lege praescriptio quae Ecclesiae aliquid impediatur apponatur.

Et magis ad propositum ex Epistola Symmachi Papae, qui sedit sub finem seculi quinti legitur apud Gratianum *Caus. 16. q. 1. Can. 61.* "Possessiones quas unusquisque Ecclesiae pro-

proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis, atque distractionibus, vel sub quocumque argumento non patitur: nisi forte aut Clericis bonorum meritum, aut Monasteriis religionis intuitu, aut certe peregrinis, si necessitas largiri suaerit: sic tamen ut haec ipsa non perpetuo, sed temporaliter perficiantur.

VI. Hic habemus, Clericis bene meritis ab Episcopis possessiones Ecclesiarum datas fuisse, quae tanquam ex Episcoporum beneficentia profecta, *Beneficia* ceperunt dici: non secus ac praedia à Principibus concessa viris nobilibus, aut militibus ob eorum merita.

Unde ad hanc Symmachi Epistolam reflectens Cardinalis Baronius monet, hinc, quae beneficiorum Ecclesiasticorum origo fuerit, manifestum esse. "Cum enim solent Clerici ab ea Ecclesia per Episcopum singulis mensibus victus causa meritam stipem accipere, postea factum, ut aliquibus ex his Ecclesiae possessiones, quoad viverent, ab ipso Episcopo concederentur, quae *Beneficia* dici ceperunt, eo quod (ut Symmachus in ea Epistola) bene meritis tantummodo concedere liceret." Ad annum 502.

VII. Interim ex citatis verbis tum Concilii Aurelianensis, tum Symmachi, ad oculum patet, admodum raras fuisse has concessionis, neque lege ordinaria, sed tantum ex singulari aliqua necessitate, aut ob singularia personae alicujus merita factas.

VIII. At labentibus seculis disciplina Ecclesiae labescente, nec non Episcoporum, Oeconomicorum vel Archidiaconorum in rebus Ecclesiae dispensandis fidelitate & integritate à pristino suo gradu declinante, frequentissime fuere disensiones & querelae inter Clericos quibus, proventus Ecclesiae distribui debebant, & eos, quibus dispensationis cura incumberebat.

Hinc Clerici, ut se à praetensis vexationibus, & injusta dispensatione eximerent, primo ceperunt singuli Presbyteri sibi arrogare oblationes in Ecclesia propria factas; quae antea ad Episcopum dividendae ferri consueverant.

Cum jam jus percipiendi oblationes easque suis usibus applicandi ad singulos Presbyteros esset devolutum, tandem etiam ceperunt res Ecclesiasticae passim dividi; atque singulis sua portio fundorum, unde proventus ipsimet reciperent, assignari: quod quidem non eodem tempore, nec ubique aut aliquo Decreto Concilii introductum; sed paulatim de una Ecclesia ad aliam transit.

IX. At illud notandum, quod sicut praedia quae *Beneficario* jure à Principe possidebantur, mortua personam extinguebantur, & ad Principem revertebantur; ita quoque primitus comparatum fuisse videtur, ut res Ecclesiae jure *Beneficario* Clericis concessae, tantum ad eorum vitam censerentur datae; ipsaeque possiderent non *jure tituli*, sed tantum *jure personalis*; ut ita post mortem totaliter ad Episcopum dispositionem reverterentur.

X. Ulterius quemadmodum Principes sua bona jure *Beneficario* dabant iis qui servitium militare aliaque obsequia praestarent, similiter Episcopi bona Ecclesiae possidenda vel utenda, seu potius jus percipiendi eorum fructus dabant Clericis, ut Ecclesiae *militarent* seu officium exhiberent, quibus juxta vocationem suam. Hinc illud vulgatum approbatum per Bonifacium VIII. in *Cap. fin. De Rescriptis in 6. Beneficium datur propter officium*; ubi Beneficium accipi pro jure percipiendi proventus, nemini dubium est.

XI. Cum verò incommodum videretur, quod moriente Presbytero successor ejus jus percipiendi proventus ab Episcopo, ejusque quasi liberalitate recipere denuo deberet, ceperunt singulae Ecclesiae jus percipiendi proventus intra limites suarum Ecclesiarum, suis Presbyteris, independentem ab Episcopis, vindicare; invaluitque tandem juris axioma, quod Parochi habeant fundatam intentionem ad percipiendas decimas, oblationes, alioque proventus intra fines suarum respectivè Parochiarum provenientes.

Jus itaque fructus percipiendi jam non personis, sed Ecclesiae Van Espen *Jur. Eccl. P. II.*

clesis, seu titulis annecti coepit: ita ut qui titulum haberet, jus quoque fructus percipiendi ex bonis titulo annexis consequeretur: quae disciplina tandem universaliter obtinuit & recepta fuit.

XII. Hinc ulterius factum, ut ipse titulus tandem nomen *Beneficii* ferè obtinuerit; tum quod illo obtento ipsum jus percipiendi proventus tanquam annexum obtineatur; tum quod Ecclesiasticum officium, sive ministerium tanquam *principale*, jus verò percipiendi proventus, ut *minus principale* & *accessorium* considerari & reputari debeat.

XIII. Canonistae retinentes primam *Beneficii* nomenclaturam, qua significatur, jus percipiendi certos proventus Clericis tanquam *militibus* Ecclesiae concessum, illud solent definire: Jus perpetuum percipiendorum fructuum quorumcumque ex bonis Ecclesiasticis seu Deo dicatis, propter officium spirituale auctoritate Ecclesiae constitutum.

XIV. Theologi verò Beneficium magis considerantes penes titulum & officium Ecclesiasticum, definirunt illud, exprimendo ipsum officium, seu ministerium Ecclesiasticum ut principale, hoc modo: Jus perpetuum ministrandi in Ecclesia auctoritate Episcopi constitutum, habens jus percipiendi fructus annexum.

Verum si Canonistarum siue Theologorum definitio teneatur, in idem recidere videtur: cum & prior definitio sat exprimat, ipsum officium seu ministerium Ecclesiasticum esse principale, atque jus percipiendi fructus esse accessorium.

XV. Et licet Canonistae dicant, officium Ecclesiasticum non esse proprie Beneficium, fatentur tamen, esse *fundamentum* & *causam* Beneficii; quemadmodum loquitur Andreas Vallensis ad titulum De Praebendis §. 1. *num. 4.*

Hoc sensu ait Synodus Tridentina *Sess. 21. cap. 5. De Reform. Beneficia ad Divinum cultum atque Ecclesiastica munia obeunda esse constituta.* Et Innocentius III. *lib. 1. Epist. 2. 2.* ad Auxitanum Archiepiscopum scribit: "Dignitates & caetera Beneficia Ecclesiastica pia Fidelium devotione constituta fuerunt, certis assignanda personis, ut per ipsas personas in Ecclesiis *devotum servitium* jugiter impendatur.

XVI. Hinc patet, quod licet sensim circa proventus Ecclesiasticorum dispensationem disciplina invaluerit diversa à pristina; tamen Ecclesia eodem semper spiritu procedens, Beneficia Ecclesiastica, seu jus percipiendi proventus ex bonis Ecclesiae non alium in finem Clericis assignata voluerit, quam quo ab initio eis per Episcopos stipendia vel sportulas, aut annonas siue alimenta suppeditari voluit; nempe ut qui Altari servit, de altari vivat; utque *possent vacare legi Domini*, quemadmodum dicebat piissimus Rex Ezechias praecipiens *populo habitantium Jerusalem, ut darent partes Sacerdotibus & Levitis lib. 2. Paralipom. cap. 31. v. 4.*

XVII. Unde nec ullum Beneficium sine officio esse potest, quia uti "Divini juris est, ut qui servit Altari, de Altari vivat, ita nec bono jure is, qui non servit Altari de Altari vivit sicut stipendium non debetur nisi militanti," ait Synodus Colonienfis anno 1549. *tit. 9. Can. 3.* Neque esse ex intentione Ecclesiae ut ullum Beneficium quantumvis *simplex*; uti vocant, sit sine officio, infra ostendemus.

XVIII. Dicitur in definitione, jus *perpetuum*; hoc est *ad vitam* Beneficiarii: quae perpetuitas ex ipsa Apostolica Doctrina, & pristina Patrum disciplina originem ducit. Docet enim Apostolus, ut *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat 1. Ad Corinth. cap. 7.* Hinc & fixa perpetuaque fuit Ecclesiae disciplina innovata per Synodum Tridentinam, ut dum quis alicui Ecclesiae legitima auctoritate & vocatione adscriptus est, in ea permaneat, ubique suis fungatur muneribus, *sessio. 23. cap. 16. De Reformat.*